



ERhartus natus est honestis parentibus in oppido Imperij Haylprunnenſi anno 1495. Cum autem is foelici ingenio eſſet praeditus, parentum conſilio operam literis dedit, & primis rudimentis in patria perceptis, ſeſe hinc inde ad varias Academias contulit. Ibi in primis artibus dicendi, atq; tribus linguis diligenter incubuit, & earum ſibi magnum uſum comparauit. Poſtea uero animum ad Theologicum ſtudium conuertit, atq; Doctoralia inſignia omnium conſenſu impetrauit. Verum una cum tanto nomine talem eruditionem nactus eſt, ut poſtea doctiſſimis ſemper Theologis connumeratus fuerit, id quod Marpurgi & Tubingæ,

ubi ſacras literas publice expoſuit, quilibet auditorum facile deprehendit. Fuerat etiam admiranda facundia praeditus, ita ut uerba faciens omnium oculos & animos in ſe conuerterit, & audientes quaſi attonitos reddiderit. Docendi uero initium apud nobilem de Gemmingen, deinde in oppido Imperij Vuimpen fecit. Poſtea autem Huldrico principe reſtituto, in Wuirtenbergico ducatu Euangelium propoſuit, atq; eius loci Eccleſiam uerbo Dei plantauit. Itaque cum Erhardus talis eſſet, ſtatim anno ſalutis milleſimo quingentefimo triceſimo, cum Carolus Imperator Auguſtae Vindelicorum magna comitia celebraret, ibidem comparuit, atque cum Iohanne Brentio aduerſarijs fortiter reſtitit. Deinde pari animo omnibus Imperij comitijs ab eo tempore ad annum milleſimum quingentefimum quinquageſimum ſeptimum interfuit, & ingenij ſui uires declarauit. Id quod potiſſimum anno milleſimo quingentefimo quadrageſimo Hagenoæ, & anno 1546 Ratiſbonæ comparuit, ubi fidei ſuae rationem reddidit, & cum Bucero contra Maluendam & eius ſocios in habito colloquio diſputauit.